



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Amatus Conf. 8. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

296 VITÆ SANCTORUM. 8. Maii.  
bus, in quibus DOMITILLA cum ge-  
minis, quas memoravimus; Virginibus  
agebat, ignem subjecit. Sed nempe tam  
sanctis nuptiis ille sic tædas præluxit;  
sponsarum verò postridie corpora, ut à  
Cupidinis, sic à tyranni etiam ignibus  
integra fuerunt, & à tam sanctis flam-  
marum spoliis hodie Eluacum Germaniæ  
civitas splendet. *Ex Surio.*

*Despiciendus à nobis hic mundus fuerat,  
etiam si rebus prosperis demulceret animum.  
At postquam tot flagellis premitur, tot nobis  
quotidie dolores ingeminat, quid nobis al-  
iud, quam, ne diligatur, clamat? S. Greg.  
l. 3. Dial.*

S. AMATUS CONF. 8. Maii.

**A**MATO Saludecium patria fuit. Pa-  
rentibus in tenerâ ætate amissis, mul-  
ta tulit, fecitque puer & adolescens, et-  
iam viris imitanda. Amor castitatis pri-  
ma illi bella excitavit, feminâ classicum  
cantante, proprio sexûs sui genio. Ea  
fratri AMATI nupta, filiam, quam  
priori conjugio tulerat, cum AMATO  
sponsam obtruderet, repulsam ultimis  
odius ultra est, quibus etiam fratres col-  
lisi sunt, exiguo tamen AMATI in-  
commodo, deputantis in lucro, si virtu-  
tis causâ nomen suum amitteret, fieret-  
que exosus. Numinis tamen benevolen-  
tiam omnibus officiis captavit, in paupe-  
res

res tam prodigus, nihil ut sibi relinqueret, sed locatâ promiscuè operâ, famem sustentaret: in emaciato nihilominus corpore flagro ferreo non modò memoriam sed imaginem Christi patientis renovabat; hoc quoque illius affecutus, ut pro malesano habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi cælum ad se rapuit, tam familiariter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animum etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo **A M A T I** famem frater fœdo crimine sugillavit, stupri commercium ei cum Clarâ sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed ambulanti in jus sol absolvit abollam ejus intercipientem, suisque radiis sustentans. Iisdem illustrata **A M A T I** est sanctitas, sed ille proditorem suum fugiens, inter sacras peregrinationes consenuit, in hospitali denique pauperum domo, quam suis impensis crexerat, mortuus. Corpus nondum extrahuit, suaque integritate fratris calumpniam etiam in tumultu refutat. *Ex Phil. Ferrar.*

*Qui orationi vacare desiderat, suasque postulationes offerre altissimo, sic se componat intus coram oculis Domini, ut non minus ipse, quam ejus acceptabilis fiat deprecatio. Non placet Deo orationis sacrificium, nisi placeat prius ipse, qui offert. B. Laurent. Justinian. Fascisc. Amoris cap. 15.*